

tempore opportuno. Non ignorat enim Theoph. cap. 5. *Herbas appellari illud, quod à radice foliatum sine caudice prouenit, semeng. caule fert, ut Olera.* Nec silentio prætermittendi liquores, qui circa stipitē, & ramos concrefcunt, aut ab ipsis, vt guttulæ emanantes stillant: sicuti etiam narrando aggrediēdus est modus, quo succi à folijs, & ab herbis eliciantur, & feruentur; quoniam hi in Pharmaceutica arte magnam partem tenent.

De Radicibus eligendis, et seruandis.

Cap. III.

RADIX inter omnes partes, quæ totam plantam constituunt, præcipua esse ab Aristot. lib. de Plant. cap. 2. existimatur; cum sit vitæ primordium, & alimentum à terra capillamentis suctum omnibus ceteris partibus cōmunicet, quod respiciēs Theophr. cap. 2. pronunciauit, illas animalium ori proportio ne quadam respondere. Tempus colligendi has reliquit scriptum Dioscor. lib. 1. in limine, sic: *Radicēs, liquamenta, cortices ve, ut recondantur, eximere conuenit, cum herbæ suis folijs exuuntur.* Hoc autem vt plurimum euenit in Autumno incipiente Hieme: tali enim anni tempore multæ plantarum radices magnas habent vires, teste Gal. lib. 2. de Alim. fac. c. 61. ineunte aut Vere, cum semen producere intendūt, caulem proferunt, & luxuriari incipiunt, euadunt insuauiiores, & flaccidiiores, etiamsi germinis cuspidem

dem à se adhuc non emittant, quod & experientia quotidiana demonstrat; exemplo sunt nobis Allia, Cepæ, Napi, & Rapæ, quæ omnia, dum Venum imminet tempus, iniucunda degustantur: at mularæ radices existunt, quæ hieme adueniente, dulciores euadunt, vel præstantiores, calore toto prius in folijs expanso, ad intima contracto. Sed tempus omnibus accommodatum, & opportunum est, cû folijs radices priuantur: aliquæ enim plantæ, narrante Dioscor. hieme florent, & folia pariunt. & cap. de Helenio, demonstrat eius radices fodiendas esse æstate. Omnes itaque radices euellantur, cum folia cadunt; tunc enim tota facultas ad interna se transfert, & folia humiditate propria, & calore priuata decidunt. Sunt siluestres vigorosiores, & inter istas illæ, quæ saxosis nascuntur montibus, vt Auic. lib. 2. T. 1. *Siccantur expurgatæ, locis asperginem non redolentibus, sed quæ luto, aut puluere sunt obsitæ, aqua elui debent.* hæc Dioscorides. Quænam diligentiora à Pharmacopœis desiderari possunt? at quoniam varix extant magnitudine satis insignes, hæ multa in frustula secandæ veniunt, & postea exsiccandæ, quod reliquit scriptû ille, vbi de Helenio c. 31. & vbi de Iride sic: *Quæ frustatim dissectæ in umbra siccentur, & traictæ lino recondantur. Cum enim odoratæ sint, facilius à Sole illo priuantur. Quæ aut magna, et inodora colliguntur, sub Sole unica die exsiccantur sæpe eas reuoluendo, et nocte loco ventoso seruentur ab omni humiditate remoto. At si nubila cælum inuoluant, extendantur super cribra, vel aliud simile ex humili, exiliq. arundine contextum, & igni siccentur.*

Aut

Aut si admodum magne, ut Serpentarie, Buglosi, Vitis nigrae, Dictamni, & similia, in multas partes, prius tamen mundatae, diuidantur, & filo traiectione, hoc vero ordine, ne sese tangerent, vento exponantur, donec humiditate priuentur. Hæc Albucasis inter Medicos Arabes magnificandus lib. 28.

Error Sep-
plasiariorū.

Error alter.

Radices me-
dullis priuā-
dæ quæ.

Seligantur radices, ut placet Gal. lib. 1. de Antid. c. 15. *extenso cortice, non rugoso; hæc enim earum maciem denotant.* At à Sepplasiarijs ista non seruantur; vtuntur enim quibuscūque radicibus. Et hæc maxime seruanda veniunt in radicibus non adhuc exsiccatis; quoniam multæ, dum earum humiditas euanescit, corrugantur. Sed quid dicendum de radicibus exsiccatis pro vsu desumptis medicinæ ab ipsis? quæ ut plurimum carie consumptæ, ut Chinæ, conspiciuntur. Sed quoniam aliquæ radices integræ pro vsu medicinæ non probantur, at solum earum cortices, hæc internis medullis priuentur: tales sunt Apij, Fœniculi, Capparis, Pentaphylli, Raphani, Hellebori, & Rumicis hortensis, & agrestis: hoc iussit Haly, profectò hac in arte diligentissimus, lib. 10. Pract. c. 8. Serap. lib. de Antid. c. 25. Actuar. de Comp. Med. Auic. lib. 5. S. 2. T. 7. & Mes. c. de Secaniabin de Radicibus, quarū cortices imperauit detergendos esse, & mundandos. Horū sæpe meminit Gal. ut 7. Simpl. facul. corticum radicum Capparis, sic & Diosc. & 2. ad Glauc. corticū radicum Rumicis hortensis, & agrestis; Longam ferunt decoctionem ut plurimum, sed odoratæ paucam, & admodū tenues, & exiles.

Pharmaca parandi, Lib. I. 9

exiles. Sunt quinque radices, quę sunt in vsu, radix Apij, Asparagi, Rusci, Fœniculi, & Petroselini.

De Folijs, et Herbis. Cap. IV.



FTSI non paruum discrimen adinu-
niatur inter herbas, ac folia; nam her-
ba, teste Theophr. lib. 1. de Histor.
Plant. cap. 5. dicitur, quod à radice fo-
liatum sine caudice prouenit; quod etiam confir-
mauit Arist. lib. 1. de Plant. c. 7. attamen ambo nos
sub eodem capite collocare decreuimus. Folia,
quibus flores, & non rarò semina, & fructus ab in-
iurijs aeris custodiuntur, (extant enim tamquam
horum omnium, si credendum est Aristot. operi-
menta) eligenda veniunt, narrante Gal. 4. de Sa-
nitate tuenda, c. 7. *quę subtilissima, virentissima, at-
que in summis herbis nata.* Viridia enim in se conti-
nent humiditatem incontaminatam, ac proprium
calorem, ob quorum inopiam, vt decreuit Arist.
lib. 2. cap. 1. *exsiccantur, & ob frigus glauca redduntur,*
proprio consumpto calore. Quę verò herbę pro vsu
medicinę sumendę sint, patefacit Gal. lib. 1. de
Antid. cap. 2. his verbis, dum de illis, quę exsicca-
tę ab alijs regionibus deferuntur: *Ex herbis siqui-*
dem quęcumque vnà cum semine summis ramusculis adhæ-
rente apportantur, pro cuius conditione plurimum seminis
habeant, vegetas exilibus, ponderosas leuibus, compactas
flaccidis, tempore non consumptas citò absumptis potiores
arbitrantur. At non pauci Seplasiarij hæc omnia ne-
B gligunt,

Errores Se-
plasiariorū.